

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

**Exordium**

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](#)

# DOMINICA I. POST TRINITATIS.

*Evangelium Luc. 16. v. 19 - 31.*

## EXORDIUM.

**E**rat tempore Christi Servatoris mulier quædam, quæ habebat Spiritum infirmitatis decem & octo annis: & erat incurvata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum vidit Jesus, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confessim erecta est, & glorificavit Deum, *Luc. 13. v. 11. 12. 13.*

Hæc mulier idea est, omnium Epicureorum & filiorum hujus seculi, quos Diabolus adeò ad terrena incurvavit, ut non multum de Deo, nec cœlestibus cogitent: sed in concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis, & superbia vita sumnum suum bonum quarant. Propter- ea thesauros sibi colligunt de auro & argento, quibus confidunt, & ubi thesaurus eorum, ibi & cor eorum, *Matth. 6. v. 21.* quin quo pluribus divitiis abundant, eo feliciores putant se, dicentes: Bearum populum, cum hæc sunt, *Psal. 144. v. ult.* Et hæc causa est, quod æque juvari nequeant, atque Christus mulieri huic opem tulit, quia morbum suum non agnoscunt, sed benedicunt sibi in hoc statu, *Psal. 10. v. 3.* incessabiles delicti, *2. Petr. 2. v. 14.* donec in poteum cadant, in quo non est aqua, *Zach. 9. v. 11.* Tum fastus eorum cessat. Dabit enim Deus ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur & sentiant, usque in sempiternum, *Judith. 16. v. 21.*

Exemplum prostat in prælecta Pericope

in divite epulone, qui omnino carnaliter affectus, non modo induiebatur purpura & byssō, sed & quotidie splendide epulabatur. Sed infelici tandem eventu! Quia enim terrenis plane immersus fuit, tandem ex illis devenit ad locum tormentorum, ubi adhuc inter damnatos peccatas dat, interitum æternum, à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, *2. Thess. 1. v. 9.*

Vidēbimus pro instituti ratione

I. *Triplacem Querelam.*

II. *Triplacem Medelam.*

III. *Triplacem Cautelam.*

JJ.

## Exegesis.

**O**ptime Regius Psaltes de Deo dicit, quod in cœlo sedeat, palpebræ vero ejus probent filios hominum, *Psal. 11. v. 4.* In prælectâ enim Pericope ejus luculentum prostat exemplum, ubi Salvator noster, qui Deus est benedictus in secula, *Rom. 9. v. 5.* de duabus diversi status & ordinis personis verba facit, & accutatè novit, quæ cujusque ratio sit, non modo quod ad terrenas facultates, sed & pietatem & impietatem concernit. Hinc alterum, divitem epulonem ad infernum: alterum vero nempè Lazarum ad cœlum relegat, quæ sententia quoq; in utroq; post mortem consummatur. Non, quasi divitie ex seipsis damnandæ forent, siquidem Scriptura expressè memorat, quod benedictio Dei divites faciat,

II

nec